



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 3. Qualitas Galliae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Primò igitur aliqui apud Isidorum deducunt Gallorum nomen à Græco γάλα *lac*, quoniam lactei sunt coloris, si cum Italis componantur.

Secundò Diodorus Siculus à Galathâ Herculis filiâ nomen hoc elicit.

Tertiò Timagenes apud Ammianum Marcellinum lib. xv. ait Gallos, seu Galatas nuncupatos esse à Galathâ quadam, quæ fuit mater Celti, subditis suis carissimi, ex quo & Galli dicti sunt Celtæ.

Quartò Appianus in Illyricis, ait appellatos esse Gallos, à Gallo filio Polyphemi, qui ex Galatheâ tres filios suscepit, Celtum, Gallum & Illyricum.

Quintò Grammatici quidam Veteres volebant *Celtas* nomen accepisse à Græco κελῆται *Equites*, & κελπίζω *equum agito*, quòd ex equis optimè depugnarent.

§. 2. *Quantitas Gallie.*

LONGITVDO eius attenditur apud Strabonem à *Veneris Templo* in ultimo Pyrenæo ad *Vari Fl. ostia*, quæ distantia à quibusdam apud eum est 2600. stadiorum, aliis 2809. Ipse ex viâ publicâ hanc dimetiens, dat ei 277. Milliaria, hoc est 2216. stadiorum. Apud Ptolemæum verò desumitur ex *Gobæo Promontorio* longit. G. 15. M. 15. latit. 49. M. 45. ad Montem *Adulam*, long. G. 29. M. 30. latit. 45. M. 20. quod spatium ad maiorem circulum reuocatum dat 5200. stadiorum, seu Mil. 620.

LATITVDO desumitur ex prædicto *Veneris Templo* lat. 42. 20. Mil. ad *Rheni Orientale ostium*, Grad. 11. min. 40. hoc est stadiorum 2960. aut Milliarium 370. Ex Strabone nihil certi de eâ colligi potest.

§. 3. *Qualitas Gallie.*

IN genere tota Regio humidior est; cuius causam Seneca lib. 3. nat. quæst. in humorem cæli refundere videtur: Strabo in fluuios quibus alluitur, ποταμοῖς κατέβρυτος ἢ χόεσι. Non esse nimium frigidam innuit Iulianus Imperator: quare quæ leguntur de eius frigore ad Belgicam referenda sunt. Ventosam quoque facit Seneca, sed potissimum in eam sæuire ait Circium, cui templum

Augustus consecrauit. Nulla aut paucissima habet animalia venenata. Itaque indigenæ vtuntur pro veneno Taxi arboris succo, quæ arbor tam mortifera, vt sit satis ad mortem, in eius umbrâ dormiisse, vt testatur Dioscorides. Iam de eius qualitate tria perhibentur, quòd sit *ferax*, quòd *diues*, quòd *populosa*.

FERAX, Frumenti maximè & pascuorum dicitur *Straboni*, *Mele*, & *Solino*. Nihil in eâ otiosum esse tradit *Strabo*: itémque alere omnis generis pecus. Vino carere immuunt *Liuius* & *Strabo*, & plerique veterum; sed quia olim hîc incultæ vineæ. Certè postea Bituricæ vitis, & Arueni vini meminere. Ferebat & omnis generis fructus, quos dabat Italia, excipit tamen *Strabo* Ficum & Oleam, sed de Celticâ loquens. Itaque exclamations Ciceronis de Pro. Consul. omnino hyperbolicæ sunt.

DIVES Regio *πολυχρυσος*, abundans auro, *Straboni*. Testes tot fodinæ, quarum idem meminit in Cemeniis montibus apud Ruthenos, Gabalos, Tarbellos, vt taceam Tarnim auriferum Fl. Aufonij. Hinc multis in locis thesauros habuit Celtica, quos paludibus incolæ ad custodiam immergebant. Quare Romani Galliâ potiti paludes locauerunt, vnde aliqui molas ex argento eduxerunt. Testis quoque Luerius pater Bituiti, qui per campum obambulans monetam auream, & argenteam dispergebat, quam comites colligebant, hæc *Strabo*. Hæ autem diuitiæ existebant quoque ex mercibus, propter facilem earum deportationem per flumina, vt idem *Strabo* notat.

POPULOSA, in eâ agnoscit *Strabo* *πολυαβρωπίαν*, idcirco hîc etiam syluas, & paludes coli. Causam refert in mulieres, quas *ποχίδαι* vocat, & *τρέφειν ἀγαθαί*. Id quoque colligitur ex copiis, quas eduxerunt, coloniis quas miserunt. Vbi enim gentium non refederunt Celtæ? In Hispaniâ, in Germaniâ, in Illyrico, in Italiâ, in Græciâ, in Asiâ. Certè huius non leue argumentum quòd Aruerni soli sæpè cum cc. Millibus restiterint Romanis, cccc. etiam Millibus cum Iulio Cæsare pugnauerint, vt notat *Strabo*. At quàm multi alij populi Aruernis pares? Et verò si qua Celticis Appiani fides in Galliâ trecentæ Gentes, vrbes suprâ octingentæ numerabantur.